

**CARISSIMI: ARION ROMANUS**

**Sung texts**

**ARION ROMANUS,**

Constantiae 1670

**Complete texts of the Motets by  
Giacomo Carissimi**

*Edited by Flavio Colusso* [www.flaviocolusso.it](http://www.flaviocolusso.it)

**1. MORTALIS HOMO**, De tempore, S

Mortalis homo quid non recordaris?

Quis sit ille aqua tantum diligaris  
qui te dum videt desperare duram mortem,  
gravem sortem et tormenta vult tolerare.  
Non lassare hunc amare  
cui sic dulce te servare,  
tibi vitam restaurare,  
caeli gloriam parare.  
Mortalis homo...

Salve Jesu, o dulcis amator coelo veniens,  
qui sic amas odientes,  
qui sic servas fugientes.  
Jesu dulcis te amabo,  
tota mente honorabo  
tibi laudes, tibi victorias,  
tibi gratias cantabo.  
Mortalis homo...

Felix cor, beatum pectus  
si est amor tibi rectus,  
si te flamma exurit ardens  
pietatis vera parens.  
Tunc in coelum evolabis  
aulam siderum habitabis,  
felix anima jam Deo plena  
in qua ardet fax serena.  
Mortalis homo...

**2. SICUT STELLA**, De Sancto, S

Sicut stella matutina in medio nebulae

ita refulget in domo Domini beatissimus.

Sicut rosa in diebus vernis

ita floruit ante Dominum beatissimus.

Sicut ros aurorae candidus

ita Dei Ecclesiam irroravit beatissimus.

Stillate rores, stella incate.

Florete flores et caeli civem omnes coronate.

Ver fit aeternum jugis serenitas

dulcis amenitas sparget in terris gaudium supernum.

O dies laeta o fausta dies

in qua beatissimus beatissimam animam Deo redditit  
et coelitum in choris sui recepit praemium laboris.

In hac valle lacrimarum coeli gaudium suspiravit

Servum meritis paeclarum nunc super astra Deus exaltavit.

Melle fontes laete currant, fluant melle nunc coronant  
fontem divi mille flores, mille stellae.

Stillate rores, stellae micate

Florete flores et caeli civem omnes coronate.

**3. CONVERTERE**, De tempore, S

Convertere ad me qui relinquis me peccando  
ad fontem pietatis, abyssus egestatis,  
revertere.

Quid turbaris in via malitiae,  
cur amas interitum et quaeris exitium?  
Nunc ama salutem et quaere virtutem.  
Convertere ad me...

O soror speciosa, o sponsa formosa,  
revertere ad amantem te,  
festina ad quaerentem te,  
recurre festina amare amantem te,  
quaerentem te quaerere.  
Convertere ad me...

**4. DOMINE DEUS MEUS**, De tempore, S

Domine Deus meus  
te desidero, te concupiscit,  
te gemendo et plorando requirit cor meum,  
nunquid erit in pace locus eius  
donec in te vera bonitas requiescat.  
In hoc exilio longe a te, Deus meus,  
anima mea venuit consolari sine te,  
o sincera laetitia, quid mihi est in coelo  
et a te quid volui super terram.

Te solum, te quaero o dignus amari,  
te gaudio vero, cor amat lætari.  
Quis te non vocabit o risus plorantum,  
quis te non amabit voluptas amantium,  
quis te non amabit?

Amo te Domine, Salvator meus  
et ideo clamo, gemo, suspiro  
et ante oculos tuos effundo planctum  
et gemitum et suspiria cordis mei.  
Si audis clamantem, videbis gaudentem,  
si fugis vocantem, relinques languentem.

Te quando video in te delectabor,  
perfecta laetabor et nunquam dolebo.  
te quando video jam nunquam dolebo?

Gaudebo, laetabor  
et in aeternum tuam misericordiam celebrabo.  
Te laudabit cor meum, te cantabit os meum,  
o cordis vera spes, o delectatio  
o vera consolatio; cantabo felix in superna Patria  
et admirabile nomen tuum, per caelestia regna,  
laudum perenni resonabo cantico.

**5. PANEM CAELESTEM**, De [Sancta] Eucharistia, SS

*canto primo*  
Panem caelestem Angelorum delicias suavissimas  
ex altari tuo, Domine, degustamus  
et salutari tui amoris incendio feliciter inardescimus.

*canto secondo*  
Mellifluum et suavissimum  
pretiosissimi sanguinis tui potum degustamus  
et nectare dulcissimo dilectionis tuae inebriamur.

*a due*

Succendite me flagrantes divinae charitatis ignes,  
transfigite me Divini amoris tela suavissima  
ut liquefacta anima nostra tota dissolvatur  
pias in lachrymas et suspiria, tota langueat,  
tota deficiat prae desiderio et charitate tua.  
O jucundissimum vitae solarium  
et unicum animarum refrigerium.

*canto primo*

O cordis levamen, suavis laborum  
medela dolorum et dulce solamen.

*canto secondo*

O cordis dulcedo: quam tuo sum laetus  
amore repletus quam gaudens incedo.

*canto primo*

In te Jesu spero, te semper requiro,  
te amo, te quaero.

*canto secondo*

In te delectabor coelitum panis  
non semper inanis in te gloriabor.

*a due*

Nos ergo laetantes hoc pane fruamur  
quem nunc veneramur,  
te Jesu laudantes;  
lux mundi et vita qui coelum gubernas  
ad coeli supernas nos dapes invita.

**6. ANIMA NOSTRA**, De tempore, SS

Anima nostra sustinet Dominum  
quoniam adjutor et protector noster est.  
In ipso laetabitur cor nostrum  
in ipso refloruit caro nostra.  
In Deo sperabimus, in Deo exultabimus.  
In Deo laudabimus tota die  
et in nomine sancto ejus  
confitebimur in saeculum.

**7. LAUDEMUS VIRUM**, De Confessore, SS

Laudemus virum gloriosum et parentem nostrum Beatum  
[Jacobum]  
quem hodie deduxit Dominus in via mirabili et ad portas Paradisi  
coronavit eum.  
Enarrant populi gloriam ejus et laudem ejus nunciet Ecclesia.  
Cantemus et exultemus ei in cytharis, in tympanis, in canticis et  
jubilatione.

**8. O DULCISSIME JESU**, De tempore, SS

O dulcissime Jesu, o suavissime Jesu, o amantissime Jesu,  
inebria cor meum torrente dulcedinis tuae,  
vulnera animam meam sagittis charitatis tuae  
et fac ut amore amoris tui moriar  
qui amore mei dignatus es mori.

O Jesu vita animae meae,  
o anima cordis mei

o cor meum jucundissimum,  
o amor totus igneus  
fac ut ardeam in te,  
fac ut langueam pro te,  
nihil amem praeter te,  
nihil queram extra te,  
nihil amem nisi te  
vita mea, amor meus  
et in te solo pereat  
et liquefiat anima mea.

in splendore fulgorantis hastae tuae,  
In fremitu concubis terram  
et in furore obstupefacies gentes.

**9. SICUT MATER**, De tempore, SS

Sicut mater consolatur filios suos  
ita consolabor vos, dicit Dominus.  
Consolabitur Dominus Sion  
et ponet desertum ejus quasi delicias  
et solitudinem ejus, quasi hortum Domini  
germinans, germinabit et florebit quasi lilium  
et exultabit laetabunda et gaudens.  
Gloria Libani data est ei,  
decor Carmeli et Saron.

**13. QUIS EST HIC**, De Sancto, AB

*basso*  
Quis est hic Vir beatissimus  
qui in caelum gloriosus progreditur.

*alto*  
Hic est humilis Christi famulus [Jacobus]  
quem dignatus est Dominus  
ad caelestem evocare patriam.

*a due*  
Vocem laudis modulemur triumphali carmine;  
viri sancti veneremur gloriosa merita.  
Fecit enim mirabilia in vita sua:  
potuit transgredi et non est transgressus;  
facere mala [et] non feci[t].  
Non est inventus similis illi qui conservare legem Excelsi.  
Unde cum Angelis triumphat in Paradisi gloria.  
Alleluja.

**10. ECCE SPONSUS**, De Virgine, SA

Ecce Sponsus venit,  
egredere, laetare, exulta, laetare.  
O beata. Ecce Sponsus venit;  
sponsus amabilis, decorus gloria,  
clarus potentia, speciosus forma;  
Sponsus ille quem amasti,  
quem ardenter dilexisti.  
Vulnerata charitate  
dulci amore saucia.

**14. OMNES GENTES**, De Beata Virgine, SSS

Omnis gentes gaudete cum Maria;  
quae rutilanti corona decorata, hodie in coelis,  
plaudentibus Choris Angelorum, gloriosa triumphat;  
vos, devotissimi fidelium caetus, gratulamini ei / illi  
in voce chordis et organis suavissime concinantes.

**11. HYMNUM JUCUNDITATIS**, De tempore, SS

Hymnum jucunditatis  
cantemus Deo nostro  
et in canticis et cytharis  
laudemus eum.  
Magnus es Domine  
et praeclarus in operibus tuis;  
magnus es Domine  
et dominator universae terrae;  
magnus es Domine  
in misericordia,  
suavis in bonitate,  
dulcis in majestate,  
excelsus in sanctitate.  
Totus amabilis,  
totus desiderabilis  
et dulcis.  
Sit benedictum  
nomen tuum in aeternum

**15. O BEATA VIRGO**, De Beata Virgine, SSS

O Beata Virgo Maria,  
tu gloria angelorum,  
tu beatorum gaudium in patria,  
tu splendor caeli et lumen animarum;  
tibi plaudunt coelites jubilantes  
et laetis semper vocibus cantantes, alleluja.

**16. EGREDIMINI**, De Beata Virgine, SSS

*canto primo*  
Egredimini filiae Sion  
et videte Reginam vestram in diademate  
quo coronavit eam Dominus  
in die desponsationis et laetitiae cordis sui.

*canto secondo*  
Egredimini coelestis habitatores Hierusalem  
et videte speciosam Virginem  
delicijs affluentem innixam super dilectum suum  
circumdatam rosarum floribus  
et liliis convallium.

**12. VIDERUNT TE DOMINE**, De tempore, SB

Viderunt te Domine  
et doluerunt montes;  
dedit abissus vocem suam,  
attitudo manus suas levavit.  
Sol et luna steterunt  
in habitaculo suo;  
in luce sagittarum tuarum ibunt,

*canto terzo*  
Admiramini faciem decorum,  
intuemini sidereum caput  
cui ex rutilanti stellarum duodecim  
corona regium diadema compactum est.

*a tre*

Vos autem collaetantes Angelorum Chori,  
sumite cytharas aureas  
et modulamini illi triumphale canticum  
in sonitu tubae, fistulae, cytharae et psalterij.  
Praecinete illi in voce laudis  
et modulantis organa vocibus  
insonent illi gloriam et exultationem  
in sonitu tubae, cytharae, sistulae, et psalterij  
sumite cytharas aureas  
et modulamini illi triumphale canticum  
in sonitu tubae, cytharae, fistulae, cytharae et psalterij.

Sine dolore peperisti.

Gaudeant omnes, jubilant omnes  
sentiant omnes tuum juvamen,  
quicunque celebrant  
tuam sanctam festivitatem.

**21. AUDITE SANCTI**, De Martyribus, SSB

*basso*

Audite Sancti, audite justi  
audite fortis electorum animae.  
Ecce vos tradet Dominus in manus impiorum  
ut comprobaverit vos; accipiat coronam vitae.

*canto primo e secondo*

Si tradiderit Dominus nos servos suos in manus impiorum,  
stabimus omnes in magna costantia adversus angustia  
persequentiem.  
Quis enim nos separabit a charitate Christi?

*a tre*

Tribulatio an angustia? Non separabit.  
Persecutio an fames? Non separabit.  
Nuditas an periculum? Non separabit.  
Ignis an gladius? Non separabit.  
Si consistant castra adversum vos? Non timebit cor nostrum.  
Si exurgat praelium adversum vos? Non timebit cor nostrum.  
Si maledixerint vos homines? Non timebit cor nostrum.  
Si principes persecuti vos fuerint? Non timebis cor nostrum.

**17. BENEDICITE**, De tempore, SSS

Benedicite, gentes, Deum nostrum,  
auditam facite vocem laudis ejus.  
Sperate in eo omnis congregatio populi,  
effundite coram illo corda vestra.  
In Deo salutari meo, in Deo gloria mea, in Deo gaudium meum,  
spes nostra, salus nostra, vita nostra in Deo est.  
In Domino laudabimur, in Domino sperabimus  
quia ipse adjutor noster et protector est.

Si tradiderit Dominus nos servos suos in manus impiorum,  
stabimus omnes in magna costantia adversus angustia  
persequentiem.  
Quis enim nos separabit a charitate Christi?

**18. O BEATUM VIRUM**, [De Sancto], SSA

O beatum virum cuius anima Paradisum possidet;  
unde exultant Angeli, laetantur Archangeli.  
Chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat,  
mane nobiscum in aeternum.

*canto primo e secondo*  
Scimus enim quod passiones nostrae  
non sunt condignae ad futuram gloriam.

**19. GAUDETE CUM MARIA**, [De Beata Virgine], SSB

*canto primo e secondo*  
Gaudete cum Maria qui diligitis eam;  
exultate filiae Sion laudantes eam.

*a tre*  
Saevientes tortorum manus? Non sunt condignae ad futuram  
gloriam.  
Formidabiles leonum molae? Non sunt condignae ad futuram  
gloriam.  
Lanientes ungulae? Non sunt condignae.  
Igne candentes laminae? Non sunt condignae ad futuram gloriam.  
Scimus enim quod passionis nostrae non sunt condignae ad  
futuram gloriam.

*basso*  
Virgo decora et fulgida  
tu es salus mundi et stella maris.

**22. QUO TAM LAETUS**, De Martyre, SST

*canto primo*  
Quo tam laetus progrederis  
Vir beatissime?  
Quo tam praecipites gressus agglomeras  
Christi miles fortissime?

**20. SALVE VIRGO**, [De Beata Virgine], SSB

*canto primo e secondo*  
Salve Virgo Immaculata,  
salve Mater Immaculata,  
ave rosa sine spina,  
ave aurora matutina.  
Pulchra ut Luna sed sine macula  
electa ut Sol sed sine nebula.

*tenore*  
Ad supplicia propero, ad tormenta,  
ad cedem ut Christo, in passione socius,  
quem futurae largitorem mihi gloriae spero.

*canto primo*  
Sola sine exemplo filio tuo placuisti

*canto primo*  
Non horribiles tyramni minae,  
non formidabiles tortorum manus,  
non atrae terrant carcerum umbra,  
non times graves compedium nexus,  
non ferrea catenarum vincula pavescis.

*canto secondo*  
quem sine labe concepta, sine labe concepisti,  
*basso*  
sine labore portasti, sine dolore peperisti.

*tenore*  
Si Dominus salus mea est quid pertimescam,  
a quo trepidabo ipse mecum descendet in foveam,  
ipse in vinculis non derelinquet me,  
non timebo quid faciat mihi homo.  
Tyranni minae, tortorum manus

*a tre*

impavidum me semper ferient.

*canto primo*

Cur immaturam enixe expetis mortem  
quare vis novissimum cede finire diem?  
Nullus ne tam acerba mortis ne timor occupat,  
nullus tangit precordia metus.

*tenore*

Nulla cecidit super me formido mortis  
nulla me terrent novissima mortalium pericula  
quoniam mihi vivere Christus est  
et mori lucrum: vivo ego, jam non ego,  
vivit in me Christus,  
cupio dissolvi et esse cum Christo.

*canto primo e secondo*

Vade martyr fortissime,  
vade martyr beatissime,  
vade festina propera ad supplicia,  
ad tormenta, ad carceres  
quoniam tibi vivere Christus est  
et mori lucrum.  
Vade, jam non vivis, vivit in te Christus,  
Ille salus, ille vita, ille spes et gaudium.  
O quam dulce, o quam jucundum  
Mori mundo et Christo vivere.  
Qui te perducit hodie  
ad sempiterna Paradisi gaudia.

**23. QUASI AQUILA**, De Nativitate, S e 3 strum.

Quasi aquila provocans ad volandum  
et sicut gigas Salvator noster exultavit  
ad currendam viam.  
De summo egressus caelo  
descendit tamquam imber  
et sicut stillae roris super terram.  
Non in purpura, non in solio,  
foeno tectus, Rex pacificus  
regnat in praesepio.  
In humili caula Salvator est natus,  
cui caelum est aula,  
qui nobis est datus.  
Si parvus in annis,  
si vilis in pannis  
est magnus in caelis  
pretiosus in stellis.  
Accurrunt custodes gregis  
et admirantur diffusam gratiam  
in tuis labijs.  
O speciose forma,  
o venustissime puer.  
Pastores dicite puer quem vidistis  
quam pulcher est,  
dicte voces quas audistis quam dulces sunt.  
Annuntiate et cantate noè, noè.

**24. EXURGE**, De Beata Virgine, S e 3 strum.

Exurge cor meum in cythara, in psalterio.  
Cane, gaude gloriare  
dulce melos modulare Virgini Deiparae.  
Quid siles, cur non audis?  
Mariae semper resonent mea labia laudes  
quod prodixit de ore Altissimi  
meo nunquam ab ore recedat.  
Exurge cor meum.

Sonor gaude jubilo,  
dulci laetare cantico Mariam cane Virginem.  
Quid siles, cur non audis?  
Mariae semper resonent, mea labia laudes.  
Dei parens, naeve carens, puritate purior,  
pro amicis inimicis adamante durior.  
Salomone et Samsone fortior et sapiens  
hinc Averni tibi sterni timet ira rugiens.  
Stella maris tu probaris caelo deviantibus  
caeli clavis tutu navis male fluctuantibus,  
sine viro modo miro Virgo Dei mater es.  
O sublimis, alta nimis solo Deo, digna es.

**25. ARDENZ EST COR MEUM**, Ad Christum, à 4 [SATB]

Ardens est cor meum, o bone Jesu,  
tui amoris igne suavissimo,  
o ignis qui semper ardes et numquam extingueris.  
O ignis qui semper laces et numquam obfuscari,  
o ignis qui semper ferves et numquam tepescis.  
O ignis qui non comburis sed illuminas.

Veni ignis sancte, amor et desiderium cordis nostri,  
inflamma nos dilectione tua  
ut in te totum ardeat et in te totum langueat  
et in te totum deficiat cor et anima nostra.

**26. AVE DULCISSIME**, De Sancta Eucharistia, SST e 2 violini

*canto primo e secondo*  
Ave dulcissime Angelorum panis,  
panis sancte, panis vitae, panis mundi,  
habens in te omne delectamentum  
et omnem gratiam, omnem dulcedinem  
et omnem suavitatem.  
Satia me, recrea me,  
amoris tui salutari gratia.

*tenore*  
Salve nobilis et pretiose sanguis  
de vulneribus crucifixi profluens  
et peccata totius mundi abluens.

*a tre*  
Te semper sitiant viscera mea,  
te semper ambiat Spiritus meus,  
te semper diligit anima mea,  
te amet, te quaerat, te inveniat.

**27. SI DEUS PRO NOBIS**, De Martyribus, SSB e 2 violini

*Canto primo e secondo*  
Si Deus pro nobis quis contra nos [?]

*Basso*  
Audiant omnes amatores Dei gloriosa Martyrum vox enim est.

*Canto primo e secondo*  
Si Deus pro nobis quis contra nos [?]

*basso*  
Fremuit mundus et orcus horribiliter adversum vos  
et quomodo dicitis quis contra nos.

*Canto primo e secondo*  
Quis est mundus totus quando pro eo morimur per quem mundus  
factus est.

*basso*

Clamat mundus et Jorcus et Reges et populi adversum vos  
et quomodo vos dicitis quis contra nos.

*Canto primo e secondo*

Mundus corporis interfector est Dominus animae susceptor est.

*a tre*

Si Deus pro nobis quis contra nos [?]  
Nos quaerimus in via  
quod servatur in patria  
et nobis manet inclita victoria.

*a cinque*

Ave Jesu dulcissime,  
ave tremenda majestas et benedicta deitas,  
transfige me amoris tui vulnere  
ut vivificemur omnes in gaudio  
et exultatione cordis nostri.  
O coeli Creator, o mundi Salvator  
et beatorum gloria.

## 28. O QUAM DILECTA MENSA, [De Sancta Eucaristia], SSATB

*alto*

O quam dilecta sunt  
tabernacula tua Domine.

*basso*

O quam gloriose  
magnificatus est apud gentes.

*tenore*

O quam mirabiliter nobis  
gustandus de caelo descendisti.

*a tre: alto, tenore e basso*

Accendant ergo fideles omnes  
et repleantur in bonitate dulcedinis.

*canto primo*

Ecce ad mensam dulcissimi convivij tui,  
pie Domine Jesu, accedere contremisco  
et quem judicem sustinere nequeo  
Salvatorem habere suspiro;  
quando ardentissime diligam te,  
quando tenacissime tibi agglutinabor,  
quando me totum in te absorbebis,  
reddi mihi gratiam tuam,  
inebria Spiritum meum  
vino perfectae charitatis  
quia te quaero,  
quia te cupio  
et desiderio tui languet anima mea.

*a tre: alto, tenore e basso*

O ardens desiderium,  
o dulce refrigerium amare Dei filium.

*canto secondo*

Domine Deus meus  
vita dulcis et perennis accende,  
concrema et transforma me  
ut nihil praeter te vivat in me;  
aufer omnes iniquitates et scelera  
ut purificatus mente et corpore  
totus pro te ardeam  
et liquefiat spiritus meus.

*a tre: alto, tenore e basso*

O mentis delectatio  
laudare coeli Dominum.  
O cordis jubilatio laudare Dei filium.

*canto primo e secondo*

O salutaris hostia, o Verbum caro factum, immolatum pro homine,  
refice nos ex adipice frumenti charitatis tuae quoniam dulcis  
mellifluus et suavissimus es.  
Tu laus es, tu decus, tu gloria sanctorum, tu panis Angelorum.